

**www.e-rara.ch**

## **Oratio De Dicto Platonis**

**Mieg, Melchior**

**Basileæ, [1772?]**

### **Universitätsbibliothek Basel**

Shelf Mark: KiAr F V 5:22

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-78673>

---

#### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


---


**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]





ORATIO  
DE DICTO PLATONIS:  
COELESTE GERMEN ANIMA,  
HABITA  
*PROMOTIONIS AUTUMNALIS*  
ANNI M DCC LXXII.  
OCCASIONE  
A  
MELCHIORE MIEGIO,  
prim. Classis Discipulo.



B A S I L E Æ,

---

Typis, EMANUELIS THURNEYSSEN.

Kirchenbibliothek  
Basel.

O R A T I O

DE DICTO PLATONIS:

COBLESSTE GERMEN ANIMA,

HABITA

PROMOTIONIS AUTUMNALIS

ANNI M DCC LXXII

OCCASIONE

A

MELCHIORE MIEGIO,

prim. Classis Baccalarij.

D A S I E E N.

Typis, Emmanuelle's Buchdruckerei.



*Magnifice Domine Rector!*

*Auditores quisque suis titulis condecoratissimi!*



ARIA est admodum rerum omnium creaturum conditio, si cuncta animo perpendere in vastissimo naturæ libro velimus; Aspicientes enim cœlum, cernimus ineffabilem potentiam omnipotentis DEI, quâ fulgentissimum mundi oculum, Solem, quâ splendidam lunam, cæterasque stellas tam pulchre ordinavit, ut cœli enarrent gloriam ejus, & expansum indicet opus manuum ejus.

Porro aspicientibus illa omnia, quæ in terrâ vivunt, rursus elucet admiranda, imo adoranda potius, ejus sapientia, dum videntur omnis generis animalia, partim volatilia, partim terrestria, partim reptilia, partim aquatilia, partim molis magnitudine horrenda, partim suâ parvitate vix oculis nudis, armatis saltem, usurpanda, recentiorumque demum, Anglorum imprimis atque Batavorum, naturæ scrutatorum industriâ atque sagacitate detecta; quæ omnia omnipotens Creator creavit, & in varia genera, variasque species distribuit, ipsisque porro quotidie victum dat, eaque providentiâ suâ admirabili regit & gubernat.

Aspicientes terram ipsam, videmus DEUM produxisse è terrâ omnis generis plantas, herbas, frutices, varias item arbores frugiferas, edentes fructum in species suas, in quibus semen suum latitat, ut homo exinde victum & amictum quærat.

Tandem tamen omnibus rerum classibus diligenter examinatis, omnium principem hominem nullo negotio deprehendimus, utpote, qui non tantum corpore constat formosissimo, & admirabili sapientiâ exstructo, sed inprimis spiritu pollet, animâ rationali, cujus nobilitatem incomparabilem melius explicare non possumus, quam, si cœleste germen eam salutemus.

Hanc autem appellationem meritò ei convenire, dum pro virili vobis ostendere conor, Auditores omnium ordinum præstantissimi! ut in re tam grâvi & arduâ tenuem conatum vestrâ benevolentia excitetis, atque confirmetis, quanto possum opere flagito.

Cœleste germen anima, etenim non est fortunæ incertæ fœtus, ex fortuito concursu atomorum conflatus, non crassam limosamque terram pro parente agnoscit, sed reverâ est divinæ particula auræ, quæ DEUM conditorem & plantatorem habet, neque ullius creaturæ virtute produci ullo modo potuisset. Mi-  
ramur

rāmur Praxitelis statuas, picturas, Apellis, Zeuxidis, Parrhafii penicillo, elaboratas stupemus, quia ipsorum artificum nomina operi venerationem conciliant.

Quis igitur satis enarrabit animæ nobilitatem? quæ opus est non hominis mortalis & caduci, sed Regis æterni & Patris cœlestis, qui, postquam primo homini corpus elegantissimum è terræ rubræ glebâ formasset, animam eidem inspiravit, ut esset animal vivens, imo animalium Rex & Dominus, quia justum erat, ut, qui ad similitudinem supremi Patris creatus esset, similis quoque ei quadantenus in dominio & dignitate existeret.

Nec primus tantum homo hâc gaudet prærogativa, sed quotquot in lucem prodeunt, animam habent, non è parentum semine traductam, sed immediatè à DEO cœlitus infusam; qui enim produceret morti obnoxium ens immortale & à corruptione liberum, vel quomodo fieri possêt, ut naturali produceretur generatione, quod ab omni materiâ est secretum? Unde nova dignitas animæ nostræ effulget; corpora enim, quæ ex materiâ elementari sunt producta, omnigenæ mutationi & alterationi sunt obnoxia, ac propterea caduca & fragilia, anima vero immunis est ab hisce omnibus. Stagirita, Philosophus nonnullis per excellentiam dictus, cœlum ex quintâ essentiâ constare tradidit; quia nullas in cœlo mutationes observavit, sed potius omnia æternâ lege suam servare ordinem.

Rectissimè igitur cœleste germen est anima, quam, nec tempus rerum edax destruit, nec locorum distantia fatigat, dicto citius se ab unâ orbis parte in oppositam transferens, unde resultat capacitas ejus plane stupenda. Quid enim est in orbe universo tam abstrusum atque reconditum, quod animæ vis & acies intensa non detegat, scrutetur & exquirat? immensa penè est distantia cœli à terrâ, quæ est sedes mortalium, & nihilominus mentis humanæ acumen supra cœlos penetrat, siderumque, tam errantium quam fixorum, numerum, situm, magnitudinem, motum, mirâ sagacitate rimatur, ut non solum præceden-

tium seculorum tempora intelligere, sed & futurorum conditionem prædicere possit, manifesto indicio, animam cœlestem germen esse.

Nil dicam de meteoris, DEI potentiam in aëre exprimentibus, nihil de innumeris inanimatorum & animâ præditorum generibus, quæ in tribus illis naturæ regnis, vegetabili nempe, fossili & animali, ab Illustri CAROLO LINNÆO inprimis summâ curâ & sagacitate investigatis, occurrunt; Nil afferam de volucrum, natatiliùm, in terrâ repentium, & gradientium naturâ; quicquid in terræ visceribus absconditum latitat, quicquid Oceani abyssus in sinu suo reconditum tenet, incredibili dexteritate mens hominis investigat, nihilque tam abstrusum tamque reconditum est, ut ejus assidua diligentia, acumini juncta, eò non pertingat.

Si lubeat mecum ex libro naturæ transire in vitam communem, quis humano generi domicilia tam commoda, tam splendida, suppeditavit, quis civium animos in unam coire societatem docuit, quis rectè vivendi & cuique suum tribuendi normam detexit? Quod animæ desuper concessum, eadem discrimen honestorum & turpium detexit, ut, institutâ utrorumque comparatione, illorum elegantiam amplecti, horum deformitatem mortales evitare discant.


Dies me deficeret Auditores omnium ordinum honoratissimi! si artes cœteras vitæ usibus inservientes, vel ad hominum oblectationem inventas percurrerem. Zeuxidis uvæ ipsas aves deceperunt, sed velum Parrhasii ipsum Zeuxidem, ut ad oculum pateat, ingenio humano datum esse, & naturam perficere, & sic imitari, ut, naturæne vel artis sit opus, vix à peritissimis discerni queat.

Libenter diffusam linguarum notitiam, quarum Mithridates potentissimus ille Ponti Rex, viginti duas calluit, nec non stupendam Eloquentiæ virtutem, quam Græcos apud Demosthenes, è Romanis

nis vero Cicero adepti sunt, silentio prætereo, id unicum adjecisse sufficiat, Ens summum, DEUM optimum maximum, à mente humanâ cognosci, quatenus non solum lux est ineffabilis, sed & fons bonorum omnium inexhaustus, nostra lux, vita atque salus, cujus adorandam prorsus bonitatem non solum mens admiratur, sed & intimâ dilectione amplectitur, eâque in perpetuum frui exoptat. Id vero, quia in valle hâc miseriarum difficulter fieri potest, ad cœlum est anhelandum, ut cœleste hoc germen ibi, tanquam in solo patrio, liberum ab omni ærumnâ & tempestate, floreat, & vireat in omnem æternitatem.

Quum itaque ex hisce omnibus evidenter pateat, cœlo profectam animam, cœlesti virtute præditam, & cœli tanquam patriæ esse cupidam, adeoque reverâ germen cœleste, spernamus terrenam fragilitatem, & voluptates hujus ævi floccipendamus, majoribus, melioribus, & præstantioribus animum applicantes, rejectis malis apprehendamus bona, & summum bonum consecando speremus felicitatem in cœlis consequendam à DEO, ineffabili bonorum omnium abyssu, cui pro nobilissimâ animarum nostrarum creatione, & infusione in Secula Seculorum animitus & sincerè agamus gratias.

## D I X I.



...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

L. I. X. I.



